DE JURE LIMITIS IN AQUIS CONSTITUTI.

Vulgo:

Vom Recht der Wasser-Grentz/

ANNUENTE DIVINA GRATIA,

ET

AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ CONSENSU

SUB PRÆSIDIO

DN. BALTH. TILESII,

U J. D. & P.P.

IN ILLUSTRIS ALBERTINÆ AUDITORIO MAJORI,

PRO FACULTATE LEGENDI IN UTROQUE JURE LEGITIME IMPETRANDA

ANNO MDCCXX. DIE JUNII

PUBLICE DISSERET

DANIEL Fuchs/ Elbingâ Prussus.

REGIOMONTI, LITERIS REUSNERIANIS.

INCLYTÆ CIVITATIS ELBINGENSIS

PATRIÆ PATRIBUS

VIRIS

GENEROSIS, MAGNIFICIS, PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, atque CONSULTISSIMIS,

DN. ISAACO Feyrabend / Præ Consuli, S. R. M. Polon. Burggrabio atque Proto-Scholarchæ.

DN. CAROLO Ramsey / Præ Cons. Sen. & Civitatis Præsidii.

DN. DOMINICO Meyer / Præ Consul. Vice-Præsidi, Ecclesi. Patron. Officiique Pupillaris Curatori.

DN. ERNESTO Horn / Consul. Sen. & Judic. Assessori.

DN. ALEXANDRO Möller / Camerario ab extra.

DN. DANIELI Fuchs / Parenti Optimo.

DN. ISRAELI Hoppe / Judici Terrestri.

DN. JOHANNI SIGISMUNDO Jungschultz / Vice-Cons.

DN. MICHAELI Engelke / Civitatis Judici.

DN. ADAMO Kahl / M. Doct. Censori atq; Eccl. Patrono.

DN. ALBERTO Stiemer / Molarum Præfecto.

DN. SIGISMUNDO Sieffert / Judiciorum Assessori.

DN. BARTHOLOMÆO Meienreiß / Piscaturæ Præfecto & Vice-Camerario ab intra.

DN. MARTINO Schmidt / Camerario ab intra.

Ut &

DN. MICHAELI Sieffert / Med. Doct. & Phys. Ord.

MAGNIS PATRONIS AC MÆCENATIBUS

Leve hoc transacti hactenus Academici laboris specimen, humillime, ad seram usque senectam vitam omnibus cumulatam bonis precatus in sui studiorumque suorum commendationem sacrum esse cupit

DANIEL Fuchs.

§. I.



Er limitem in aquis constitutum, terminum hic in mari, flumine &c. aquas ab utraque parte habentem, sive in ac super undis is ipsis, ac quandoque meris, sive in iis cum terra commixtis consistat, sive in ipsas denique ex adjacente terra ac certo fine insignita ducatur, intelligo. Unde aqua, quæ ab unâ solùm parte terram alluit, & territorium sic unum ab altero distingvit, proprie huc non pertinebit, nec in vernacula lingva Eine Wasser-Gräntz nuncupari verè & κατ' ἐξοχὴν poterit, quoniam ad terminandum territorium ab altera parte terra concurrit.

§. II. Quando interim de existentia limitis nunc descripti magna inter Doctos lis est, ante omnia, quod ille revera detur, mearum, comprobare & evincere, partium erit. Puto me earum verò hìc sategisse, si fundamenta, negantium istunc, subvertere intendero. Princeps ac primum ex iis est, quod liquida & fluxa, quorum nomine diffusa cumprimis flumina & mare veniunt, termini in & per se plane incapacia sint. *Grot. lib. 2. de J. B. & P. c. 2 §. 3.* Alterum quod mensurari milliaria in aquis, spatiosis maximè & longis, nequeant. *vid. Pontan. Discuss. histor. lib. 1. c. 10.* ubi pro placito insuper suo & dictum Ambrosii sequens adducit: *Geometram audivimus, Thalassometram nunquam. Conf. Besold. in Thes. Pr.* sub *voce* Marck / sed per ea fines in terra alioquin præcipue constitui solent.

§. III. Vacillat autem & collabitur primum exinde, quoniam, quamvis fluida & liquida terminum ex & in se nullum habeant, accedere is tamen aliunde, velut ex scopulis eminentibus, promontoriis, insulis quibus flumina &

 mare

mare infusa sunt, potest. *Seld. de mar. clauʃ. lib. 1. c. 22. Ziegl. in annot. ad Grot. lib. 2. de Jur. B. & P. c. 2. §. 3.* Unde enati versus sunt sequentes.

Mille jacent media diffusa per æquora terræ
Innumeri surgunt scopuli, montesque per altum

Sed nec limites modo à naturâ, verum & manu ac arte facti, pro impossibilibus haberi hic nequeunt. Hinc vel integras urbes, Venetias, Stockholmiam, Amstelodamum, in mari marinisque stagnis, trabibus ac palis superstructas esse, referunt Geographi. Vid. *Cluv. in Geog. c. 21 Boter. de præc. Rebuspub. c. 14.* Et Claudium quondam Cæsarem in æquore, insulam, turrimque, in ista, altitudinis ingentis, ex qua navigantibus tempore nocturno iter facientibus lumen præberetur, ædificasse, ex Dione Cassio *Gryphiander Tr. de Insul c. 8. n. 24.* memorat. Quid præterea, quod fluvios in sp ecie attinet, quam eos, per pontes operâ hominum ipsis impositos, sæpe distingvi, est notius? Accedit hucusque dictis, quod aer non minus, imo magis forte, quam aqua, diffluat. At hic tamen pro territorii, fundi ac ædium latitudine, possideatur & terminetur, mensuramque idpropter in nunciato novo opere, tam soli, quam cœli faciendam esse *l. 21. §. 2. π. Quod vi aut clam* præcipiat, nec, absque servitute, protegendi vel projiciendi causa, vulgo wegen Ausbauung eines Wetterdachs oder Erckers / aliquid super alienum solum & aerem, vel sic, ut nusquam ibi requiescat, provehere, concessum sit. *Hub. in præl. part. 2. pag. 372.*

§. IV. Imo non modo tam fluvios, quam conclusum & vadosum mare, sed vel ipsum profundum quoque ac infestum Oceanum, finibus cunctis haud destitui, lineæ Mathematicæ evincunt, juxta quas in cœlo positas populi secum pacisci invicem, ne huic v. c. vel alteri ultra lineam æquinoctialem, Tropicum cancri vel capricorni progredi licitum sit, valent. *Seld. de Mari Clauʃ. lib. 1. c. 22. Oetting. Tr.*

de

de Jur. limit. pag. 253. Ziegl. in annot. ad Grot. lib. 2. de J.B. & P. c. 3. §. 8. Contra quos limites *Grotio in Tr. de mari libero* ita objicienti: *Si hoc recipitur, jam dudum nobis Geometræ terras, Astronomi etiam cœlum eriperent. Strauchius in Diss. de Imperio Mar. c. 2 §. 6.* hæc reponit: *mirum, si eadem ratione veritus non fuit Grotius, ne sutor pedem illi suum, sarcinator etiam ventrem eriperet, mensuram integumentorum pro modo corporis sumentes.* Sed cum Geometrarum lineæ ad ponendos limites, adque aliquid per hos uni adimendum, & assignandum alteri, regulariter ducantur, mensuræ opificum vero ad id inventæ haud sint, ut alicui pedem vel ventrem auferant, Strauchius hoc sarcasmo Grotium non apposité satis videtur perstringere, quantumvis interea, cum termini isti in cœlo cognosci satis possint, neminem per eos, aere, mari & terra injustè, minusque aperte, excludi posse, putem. Conf. *Ziegl. in annot. ad Grot. lib. 2. c. 3. §. 8.* Quemadmodum & rectè Auctor laudatus cæterum Stypmanno à se *in dict. Disput. §. 7*, allegato, æquatoremque, Tropicos & similia plus inservire nautis, quam Dominis, statuenti §. *citat.* his occurrit: *Si serviunt nautis & satis certa fixaque sunt, ad dirigendum & tenendum certos cursus per tot mille vias & infinita itinerum divergia, quo minus itidem distingvendis terminis ad causam possessionis valere queant, quid impediat, non liquet.*

§. V. Alterum opinionis contrariæ fundamentum corruit, quod milliaria, quamvis non quoad sensum semper, & terrenorum instar, at quoad rationem tamen, in aquis dentur, quomodo vel in Prussia fluvii ampli, quorum unus communiter das frische / alter vero das Curische Haff vocatur, numero milliarium certo tàm quoad longitudinem, quam latitudinem constant. Vid. *Hartknoch* in der Pr. *Historie pag. 9. ibi:* Die Länge dieses Haffs / (frischen) sind 14. Meilen / die Breite ist nicht allenthalben gleich / wo es am brei-

testen ist/ rechnet man 2. biß 3. Meilen/ *& pag. 10. in fin. verb:* Zuletzt ist auch dieses von dem Curischen Haff anzumerck.n/ daß es viel breiter sey als das frische Haff/ maassen es im Samland auf 7. Meilen gerechnet wird. Nimirum possumus certi esse, milliarium 10 vel 12, non autem 8 vel 20 dari. Nam quis differentiam spatii tam lati 8 scilicet aut 20 milliaribus inclusi vel in ipso diffuso pelago non cognoscat? *Becmann. in Med. pol. c. 6. §. 11.* Hinc est porrò, quod pro maris confinibus, finium regundorum agi posse, doceant JCti *vid. Seld. lib. 1 de Mar. Clauf. c. 22.* Et *Bodinus lib 1. de Repub. c. 20.* tradat, jure quodammodo Principum omnium, maris accolarum communi receptum esse, ut sexaginta milliaribus à littore Princeps legem ad littus accedentibus dicere possit, idque in causa Allobrogum Ducis sic judicatum esse. Quod jus præterea, juxta alios, communiter vel ad 100 milliaria se extendit, *Seld. l. c. Struv. in Syntag. Jur. Feud. c. 6. aph. 7* quorum placita tamen examinat *Gryphiander Tr. de Inf. c. 14 n. 23. & seqq.*

§. VI. Quod specialiter Ambrosii dictum verò ulterius attinet, id similiter non de civili, sed de physica maris distributione accipiendum esse, dixerim. Nam Thalassometras quondam repertos esse, vel Proclus, Mathematicus insignis, quando de præstantia Geometriæ agens *in Euclid. lib. 1. locorum,* inquit, *situs cognitos fecit, mensuras item itinerum, tam per mare, quàm per terram,* facilè comprobat. Unde porro est, quare & apud Græcos multi, thalassometrica sibi comparare instrumenta, haud neglexerint, quæ *mensuras maritimorum itinerum,* aut *mensurando maris itineri apta nuncuparunt. vid. Seld. l. c.* Vix rectè interim mensura hæc marina ex *Ezech. c. 27. v. 4.* inferri poterit, ubi urbis Tyri termini in medio mari dicuntur positi esse. Nam videtur hic locus de potentia potius prædictæ urbis & commerciis ejus, intelligendus esse. *Gryph. de Insul. c. 14. n 42.*

§. VII.

§. VII. Evicto sic, dari in aquis limitem posse, ad primaria jam illius jura progredior. Quod autem primo inter isthæc loco, ipsi ducam assignandum esse, est: DEFINIRE AC DISTINGVERE TERRITORIUM. Etenim sub hujus nomine, aquæ etiam, velut flumina & mare, comprehenduntur, quoniam alveus, qui in fundo ac solo est, eas desuper fluentes, tanquàm subjectum ad se trahit, ac unum sic idemque cum iis territorium constituit. Vid. *Diether in contin. thes. Pract. Besold. sub voce* Wasser/ *Gryph. de Ins. cap. 14. n 13. & 14. Merckelbach apud Fritsch. part. 2. Jur. fluviat. Cons 2. pag. 56.* Hinc in tractatu, quo Anno 1699. Elbingense territorium Augustissimo Borussiæ Regi quoad reditus & proventus cessit, non terræ modo, sed & omnes simul aquæ intellectæ sunt. Ut taceam, mare ac flumina alicubi æque, quàm terram inhabitari, quod fieri absque nota & suppositione territorii commode haud potest. Nam sic in *Tr de præcipuis Rebuspubl Boterus* memoriæ de Chinensibus *c. 17. pag. 108.* hæc prodidit: *Qui sibi in terra non potest victum parare, facit in mari. Id enim non minus frequenter habitatur, quam illa, vivuntque infinita familiæ in fluminibus, in cymbis, nec post longum tempus in terram descendunt. Horum aliqui vehendo, aut trajiciendo personas mercesque merent, alii officinas sibi parant, alii hospitio excipiunt iter facientes. In medio fluviorum reperitur, quicquid ad amictum aliasque commoditates vitæ civilis facit, non ad cibum alimentaque solum.* Urbes ceterum in mari vel super fluminibus extructæ in § jam 2. supra memoratæ sunt, faciuntque præterea, de Venetiis in specie, huc sequentes, quorum quisque Poetæ Actio Sannazario centum remuneratus fuit ducatis, versus:

Viderat Adriacis, VENETAM, *Neptunus in undis*
Stare urbem & toti ponere jura salo,

Nunc mihi Tarpejas quantumvis, Jupiter, arces
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait:
Si Pelago Tiberim præfers, urbem aspice utramvis
ILLAM HOMINES *dicas*, HANC *posuisse* DEOS.
vid. Hübn. historische Fragen *part. 3 pag. 568. & seqv.*

§. VIII. Ipse limes autem, per quem territoria in aquis sunt divisa, ut in Regionibus exteris occurrit: sic nec vel Prussia eodem nostra, quatenus à Lithuania & Russia olim separata fuit, caret. Nam quod illas attinet, in mari quondam, inter Magnæ Britanniæ Reges & Hispaniæ, æquator, teste *Seldeno lib. 1. de mar. claus. c. 22.*, finem territorio utrinque constituit, suntque, ut idem *l. c. ex Hieronymo de monte refert*, termini ex cœlo & aere, tempore Papæ *Alexandri VIti* inter Portugalenses & Castellanos desumpti, sic, ut insulæ Indiæ noviter tum repertæ & per lineas graduum cœli divisæ, à parte orientali Lusitanorum, ab occidentali vero Castellanorum essent. *Conf. Ziegl. Tr. de Jurib. Majest. l. 22. c. 7. §. 12. pag. 994.* In Prussia autem, quod concernit flumina, constitutum quoque, limitem prædictum fuisse, inter alia pax à supremo ordinis teutonici Mágistro, Conrado de Jungingen, cum Vladislao Poloniarum Rege inita in privileg. Pruss. fol. 4. non obscurè arguit, *verb. Insuper limites & terminos inter nostras & dicti Domini Regis terras, videlicet Lithuaniæ & Russiæ distingvi fecimus, & modis distingvimus infra scriptis. Imprimis incipiendo in quadam Insula, Sawin dicta vulgariter, sita in fluvio dicto Memla habente in se insulam Romeyweider. Abhinc directè progrediendo ad fluvium, dictum Norvesse, in declivio seu villæ continuæ, sub sylva, dicta Heiligenwald. Abhinc dictum* FLUVIUM *sequendo* IN MEDIIS FLUCTIBUS, *usque ad Vyssuilten, ascendendo abhinc linealiter & directè eundo ad quendam lapidem magnum, dictum Roda*, JACENTEM IN FLU-

FLUVIO *dicto A, & RODA vulgariter nuncupatum ab isto lapide* &c.

§. IX. Secundum hujus limitis jus est, IMPERIUM AC JURISDICTIONEM TERMINARE. Nam subesse Imperio aquam, & vel ipsum mare, à *Seldeno in Tr. de mar. claus.* aliisque famigeratissimis viris, puta Zieglero, *in annot. ad Grot. lib. 2. de Jur. B. & P. c. 2.* Kulpisio *in coll. Grot. pag. 28. &c.* satis evictum est. Quo accedit, quod concessioni divinæ, qua hominibus capessere imperium in terras permissum, & mare jungatur. Nam æque Genes. *cap. 1. v. 28.* dicitur: *Dominamini piscibus maris: quam terrestribus animalibus.* Atqui non potest in animalia imperium competere, nisi jus simul in elementum id, quod inhabitant, concessum sit. *Pufend. lib. 4. de Jur. N. & G. cap. 5. §. 5. Vitriar. in Inst. Jur. N. & G. lib. 2. c. 2. qv. 17.* Unde est, quod non transitus modo prohiberi per mare possit, sed & accedentes aliunde, vela submittere, atque ita concedere, quod in territorio jam alieno sint, debeant. *Becmann. in polit. paral. c. 6. §. 5.* Fit interea prædicta tamen velorum submissio duplici modo (1) ita, daß im Mittel-Mast die oberste Flagge/ wenn man gegen ein Königl. Castel kombt/ ein wenig herunter gelassen/ und alsobald wieder auffgezogen wird/ (2) Wenn das Top-Segel halb herunter gelassen wird/ und nicht eher/biß man einen Canonen-Schuß weit in die See ist/ wieder auffgezogen/ dafern die Schiffer nicht wollen pro contumacia, einen jeden Schuß/ der nach ihnen geschicht/ mit einem Rosenobel lösen. Jam ut prior salutandi solùm causa contingit, sic Imperium, posterior demum, infert. *vide Strauch. all. Diss. de Imp. Mar. c. 6. §. 1.*

§. X. Præstat nec documentum porro Imperii Maritimi obscurum serenissima Venetorum Respublica, quando vel moderno adhuc tempore Dux ejus, quovis festo Ascensionis Domini inaurato annulo è puppi in subjectum pelagus

gus projecto, pauca hæc ore profatur: *Desponsamus te mare in signum veri perpetuique Imperii. V. Hübn.* historische Fragen *part. 3. pag. 589. item* die Durchlauchtige Welt *part. 3. pag. 162.* A quo nec planè recedens, at alio tamen susceptus fine Regis quondam Indorum ritus fuit, juxta quem flumini is Indo sacrificaturus, modium aureum, haud absimilem ei, quo frumentum admetimur, demersit, addita causa duplici, vel ut modice fluat unda, nec exundet cum damno, vel ut humectatione sua frugum abundantiam procuret. *Piccart. in Observat. Historico polit. Decad. 16. c. 5.*

§. XI. Præter Imperium verò & Jurisdictio, ex variis causis, in aquis agnoscenda est. Quod non interdicta modo in Jure Civili *lib. 43. π. de fluminibus* prodita, sed & delicta satis quæ multoties in illis committuntur, ob oculos ponunt. Hinc in Prutenica Ordin. piscatoria *de An. 1640.* hæc quondam circa fluvium Haff/ sancita sunt: Die Freyheit des Haabes soll in gut r Acht gehalten werden / da jemands auff dem Haabe mit Schlägen verbricht / der hat den Burg-Frieden gebrochen/ und der Herrschafft 20. Marck verfallen/ im Fall es Frembde thun / und die Straffe nicht abzulegen haben/ nimmt man ihnen ein Pfand / oder läst sie sich verbürgen/ doch wo ein Garn-Meister durch Muthwillen eines Fischer-Knechts indem derselbe seine Arbeit nicht thäte / etwas verursachet würde / soll die Ursach in acht genommen werden. Wo einer dem andern auff dem Haabe mit Schmähen und Ehren-verletzlichen Worten angreiffet/ der hat der Herrschafft 10. Marck verfallen/ mit den Frembden wirds wie oben mit dem nechsten Punct gehalten.

§. XII. Quæritur post hæc jam, ubi in aquis, Imperium ac Jurisdictionem distingvens limes, ponatur? Resp. solet ille utplurimum in medietate, si de flumine quæstio est, constitui, ceu id, quod Jurisdictionem in specie concernit, facile vel ex ipso Jure Prutenico constat, utpote

cujus

cujus hanc in rem perspicua dispositio sequens *lib. 3. tit. 1. art. 5. §. 4.* se offert: Da aber das Wasser zwischen zweyen Obrigkeiten den Gerichts-Zwang und Jurisdiction theilet/ so hat eine jede Obrigkeit dieselbe/ biß in die Mitte des Wassers. Quod verum & in dubio communiter censetur esse, nempe cum medietas pro termino expresse constituta non est, quia (1) eo animo populus uterque Imperium occupasse primitus creditur, ut flumen sui medietate eos dirimeret *Grot, lib. 2. de J.B. & P., c. 3. §. 6.* quoniam (2) Imperium & Jurisdictio pro latitudine territorii competere debet. Atqui verò hujus fines ad mediam usque amnis partem præsumuntur extendi *arg. §. 31. Inst. de R. Div.* quia (3) in omni divisione æqualitas est servanda, nec uni in dubio plus attribuendum, quam alteri debetur. *vid. Gryph. Tr. de Ins. c. 17. n. 99. & seqq.* Hinc & Grotius *ex Joh. Magno in annot. suis ad §. 13. lib. 2. c. 3. de J.B. & P.* fines olim Regnorum Sveciæ in medio freti Oresundici agnitos, & ad *§. 16.* Imperium in Vedaso amne, pro medio ejus, divisum fuisse, ex Mariana tradit. Idem in Wisurgi flumine observatum, dum ut dominium & Jurisdictio hujus à parte orientali ad Marchionatum Stadensem & Comitatum Lesmonæ, post Archiepiscopatui Bremensi incorporatos, à parte orientali verò ad comitatum Rustringiæ, Ambriæ & Stedingiæ, qui jam Oldenburgicus, & Delmenhorstanus est, ad medietatem usque pertingeret, est constitutum. *Gryph. l.c. n. 109.*

§. XIII. Subscribit sententiæ huic *NoeMeürer de jur. aqv. Part. 6. §. 7.* in tantum, ut quamvis via duorum territoria dirimens communis quoad jura utrique sit, aliud adhuc tamen ipsi, quod aquam attinet, videatur statuendum esse, *verb.* Wenn ein Zoll auf einen gemeinen Weg zwischen zweyen Obrigkeiten oder zweyen Städten zollet / haben die beyden Obrigkeiten mit einander solchen Zoll zu verleihen/ und ein-

zu-

zunehmen / also / daß / was Sie deshalben empfangen / mit einander theilen. Wie zugleich da auch ein Malefitz, auff einem gemeinen Weg zwischen zweyen Obrigkeiten / belangen dasselbe beyde in gemein / wie auch eine jede Obrigkeit einen beschädigten / Geleits oder dergleichen Sachen halber den Schaden abzuthun / berechtiget ist: Aber mit des Wässers-Bett oder Bodem hat es einen andern Verstand / denn das Wasser / so also zwischen zweyen Obrigkeiten / ist nicht gemein / sondern ein jeder hat seine absondere Obrigkeit biß auf den halbigen Theil / das ist / die Mitte des Wassers / welches denn in zufallenden Fällen wohl zu bedencken. A qua nec quoad impositum quoque flumini pontem alienus hic est *Ahasv. Fritschius Tr. de Jur. pont. c. 3. §. 7. n. 26.*, utpote quô ad quæstionem. *Si pons super ejusmodi flumen commune exstructus sit, cujus in eo jurisdictio sit?* reponit: *Et dicendum videtur regulariter usq; ad dimidium alvei jurisdictionem alteri in ponte competere.*

§. XIV. Displicet isthæc è contra Buchnero *in Diss. de re & jur. aquat. §. 234.* ibi: *Et DD. nostri in dubio jurisdictionem non modo civilem, sed & superioritatem criminalem*, die hohe Fräißliche Obrigkeit / *utriusque territorii Domino, usque ad medium fluminis tribuunt. Quam bene, ipsi viderint. Quid enim si in flumine vel ejus insula controvertatur jus meri imperii, & unus inde auferri hominem occisum, aut aquis vel casu in mortem resolutum, illumve, qui metu pœnæ fatum sibi approperans, in flumen se præcipitando, submersione voluntaria supplicium antevertit, talemque vel sepeliri vel comburi curet, aut si cadaver tam subito auferri non possit, digitum abscindi, vel etiam de ejus vestibus quid tolli, aut de navi in qua homicidium commissum, segmentum in symbolum criminalis & superioris Jurisdictionis, quod vulgo* ein Fräiß-Pfand *ad vocis hujus respectum minus rectè appellare solent, excindi, curet. Alter verò agat super constitutione pignorationis, ad cadaveris, atque ea in-*

intentione ablatorum, restitutionem, vel eorum loco reversales petat, sit ne jam dictæ constitutioni locus? Et non esse, gravissimo Cameræ Concluso firmatum scio.

§. XV. Ego ut ob hæc igitur, & exinde, quod, ubi de rebus magni momenti lis est, præsumptioni facilè locus non sit, nec quando speciatim super Imperio summo controvertitur, unus ex Imperantibus supremis alteri jus dicere possit, cum sententiæ priori addictis præcise non facio: sic vel ex ipsis eorum placitis imperium, jurisque dicendi potestatem in medietate fluminis (1) haud terminari arbitror, ubi contigit, ut flumen totum parti uni accederet, eo, quod ripæ alterius imperium serius, & occupato jam flumine, cœpisset. *Grot. lib.2. de J. B. & P. c.3. §.18. conf.* NoeMeürer *all. part.6. §.8.* ubi sententiam suam paulò ante adductam sic limitat: Nachdem denn dafür gehalten wird / wenn ein Fluß zwischen zweyen Obrigkeiten / daß einer jeden Obrigkeit dieselb biß auff den halbigen Theil gebühr / und daß für eine jede Obrigkeit betreffend / zu vermuthen / ist doch solches also und in dem Fall zu verstehen / wenn die eine Stadt nicht allein das Wasser besessen / dann so die eine Stadt / oder Obrigkeit / das Wasser allein besessen / so gehöret auch derselben die Jurisdiction und Obrigkeit allein (2) cum veteri mutato alveo ad unam partem flumen propius jam accessit. Nam tunc in terminanda per medietatem Jurisdictione tempora minime moderna, sed priora adhuc, attendenda erunt. *Gryph. Tr. de Insf. c.17. n.105.* (3) ubi terminus Imperii ac Jurisdictionis pactionibus expressis ultra dimidium flumen prolatus ac definitus est. *Grot. l.c.*

§. XVI. Est tertium limitis de quo ago jus: JURA AQUATICA IMPERIO COHÆRENTIA, VEL PER PRIVILEGIUM CONCESSA, exque illis vectigal in specie, sive maritimum i.e. ob trajectum maris in portu de-

dependendum, sive fluviaticum, cui per flumina navigantes, obnoxii sunt, sive ripaticum, quod pro fluminum de ripa ad ripam transitu præstatur, ac communiter das Fehr-Geld vocari solet, portumque porro, nec non piscationem, ac eam maxime quidem, cum tota non alibi, quam in aquis consistat, PARTI CUIQUE ASSIGNARE. Et inde v. c. est, quod quæstio: *num persequenti naves hostiles in portu alieno invadere liceat?* communiter decidatur negative, quia utique securitati quisque suæ rectè consulit, nec ut sedes belli in suo constituatur, pati debet, quamvis id à parte persequentis justum fuerit. *Pufendorff. lib. 3. de J. N. & G. c. 3. §. 5.* Nam illud Grotii *lib. 2. de J. B. & P. c. 2. §. 12. n. 4. jus meum metu tuo non tollitur*, merito tunc non obtinet, ubi jus alterius, nempe prohibentis, tanquam Possessoris, potius existit. *Vid. Gronov. ad Grot. l. c. conf. Strauch. Diss. de Imp. Mar. c. 6. §. 9.*

§. XVII. Piscationum limites cæterum crebrò facti sunt. Nam sic in pactis Sigismundi Regis Poloniæ & Gothardi Ducis Curlandiæ ita quondam cautum: *Cum tractus Dunæ Fl. sursum ac deorsum inter nos consistat, æquitatis ratio exigit, ut medietate fluminis in piscando, aliisque commoditatibus Dux perpetuo gaudeat, Gryph. Tr. de Insf. c. 17. n. 107.* Conf. initum quoque inter Reges Angliæ & Galliæ super piscaturæ finibus pactum aliud, apud *Seld. de Mar. clauf. lib. 2. c. 21. p. 304.* Offerunt & porro *in piscatoria Ordin. Prutenica* recentis Habi, *de Ao. 1640. num. 4.* hæc se verba: Soll den Stadt-Fischern das Land-Wasser gantz verbohten seyn / wer hierüber beschlagen / und auffm Land-Wasser / sein Zeug setzen wird / weil er es nicht gemiethet / auch ihm nicht gebühret / soll das Zeug verfallen / und mit Gefängniß gestraffet werden.

§. XVIII. Quousque autem jus piscandi civitati Regiomontanæ olim indultum fuerit, id ex verbis his privi-

legii

legii à Supremo Magiſtro Conrado de Tierberg / *Ao. 1286.* eidem conceſſi conſtat: *Caterum donamus omnibus prædicta civitatis incolis poteſtatem piſcandi in recenti mari in parte Fratrum de* Königsberg *à Prigora uſque ad ſylvam, qua Pecos dicitur. Poterunt inſuper prædicti cives piſcari in Prigora à ponte* Königsberg / *Prigoram aſcendendo uſque ad ſanctam ſylvam.* Intelligitur vero per Prigoram, in iisdem Pregela, quem obinde primis temporibus à Pregolla, unius, de Waidewuti filiis, uxore, nuncupatum ſic eſſe, rectè Hartknochio fabulam videtur ſapere, qui ea propter & hiſtoriæ hujus arguendæ falſi ergo, vel ad ipſum hoc memoratum à nobis privilegium provocat. Vid. *Ejus* Preußiſch *Hiſtor. pag. 7.* ibi: Der Pregel ſoll Anfangs Skarre geheiſſen haben / wie Henneberger aus dem *Grunauen* ſchreibet / weil aber dem Fürſten *Samo* ſein Weib *Pregolla* darin ertruncken / ſoll er von ihr den Nahmen bekommen haben. Aber wie alles was von dem *Waidewuto* und ſeinen 12. Söhnen / darunter auch dieſer *Samo* ſoll geweſen ſeyn / in den Preußiſchen Hiſtorien beygebracht wird / ertichtet iſt / ſo hat auch dieſes von der *Pregolla* in den alten Hiſtorien keinen Grund. Ja man kan auch im Gegentheil aus alten Urkunden leicht erweißlich machen / daß vor alters dieſer Fluß nicht *Pregela*, ſondern *Prigore*, oder *Prigora* genandt worden / daß er alſo vom gedachten Weibe den Nahmen nicht hat bekommen können. Und ſo wird er genandt in dem *lateiniſchen Exemplar* des *Privilegii*, welches Conrad von Tierberg / Land-Meiſter in Preuſſen / *Ao. 1286.* der alten Stadt Königsberg gegeben. Hodie interim piſcatoribus hujus loci iſtis, qui communiter die Klein-Fiſcher dicuntur, caupona dicta der hohe Krug / reliquis vero præfectura Balgenſis pro termino piſcandi deprehenditur conſtituta eſſe. Arguit cæterum & piſcaturam reſtrictam ac in aqua certa prohibitam ordina-

tio Haabi alterius, nempe Curonensis, verb. Insonderheit sollen die beyde Fisch-Meister / als von Labiau / und aus der Ruß keinem aus ihren Aembtern weder mit Winter-Garn noch Winde-Garn auf Schackischem Wasser zu fischen gestatten; Er habe denn sich bey ihme angesagt / und ein Zeichen ausm Ambt Schacken genommen / so aber jemand ohne Zeichen auslegt / soll 6. Marck verfallen haben.

§. XIX. Non ex termino jurium tamen prædictorum ac in specie piscationis limites sive Imperii semper, sive jurisdictionis æstimandi sunt. Cum (α) jus piscandi æque, ut venandi in alieno solo esse, imperiumque hinc ac Jurisdictionem sibi connexa necessario habere non debeat. *Merkelbach. apud Fritsch. part. 2. Jur. fluviat. Cons. 2. n. 41. Confer. privilegia Pruss. fol. 21. b*, ubi, ut olim venatio Poloniarum Regi in quibusdam terris Supremi Ordinis Magistri, ita & vicissim huic piscatura in aquis certis Regno Poloniæ subjectis reservata fuit. Quo accedit (β) quod piscatio, ut usus aquæ, omnibus quondam ex populo in fluminibus competierit §. *2. Inst. de R. D.* nec flumina tamen sub Imperio & Jurisdictione singulorum ex privatis fuerint, imo (γ) licet vel proprietatem quis rei in fluvio existentis, puta insulæ, in nonnullis locis & adhuc obtineat, inque fundo ipsi adjacente, cum Jurisdictione insuper omnimoda investitus sit, istac tamen propterea & in insula de novo post exorta, haud fruatur. *Carpzov. Part. 3. C. 31. Def. 12. Hopp. in Comm. ad Inst. pag. 271.*

§. XX. Quæritur (IV.) UTRUM POSITUS IN AQUIS LIMES IMPEDIRE ETIAM ALLUVIONEM POSSIT? Ratio negandi hoc quæsitum non ultima esset, quod, juxta aliquos, in agris, iisdemque quamvis limitatis, nihil ipsi hodie impedimento putetur esse. Nempe fuerunt apud Romanos agri triplicis generis, limitati

tati, aſſignati, & arcifinii. *Vid Grot. lib. 2. de J. B. & P. cap. 3. §. 16. Stypmann. de Jure flum. p. 42. n. 496. &c.* Pro primis communiter habentur, qui ſpeciales, manu factos, vel naturales limites, quibus ſunt circumſcripti, habent. Per intermedios agri menſura certa conſtantes perque jugera v. c. diſtributi, intelliguntur. Ultimi denique aut exindè, quod idoneos arcendis hoſtibus fines haberent, ut ſunt montes, fluvii &c. aut quod, ceu ſtatuendum videtur magis, nullis finibus comprehenſi eſſent, ſed eos potius omnes arcerent, ſic dicti ſunt. *Vid. Grot. l. c. & Not. à Becmann. ibi collect.* Falluntur facilè interim, qui nomen hoc ab arcis finalibus, in agrorum quondam finibus poſitis, manſiſſe eos credunt, dum (α) hæ nec ad arcendos hoſtes aptæ potuerunt eſſe, nec (β) agrum limitibus carentem exhibere *vid. Ziegl. in annot. ad Grot. lib. 2. de J. B. & P. c. 3. §. 3. §. 16.*

§. XXI. Ut itaque Jus alluvionis jam in arcifiniis ſolùm & aſſignatis *Vid. l. 13. §. 14. π. de Act. Empt.* haud quicquam vero & in agris limite certo diſcretis, eo, quod hic contra *§. 20. Inſt. de R. D.* intelligi facile, quantum & quid adjectum fuerit, poſſet, locum olim ſibi vindicavit. *Conf. l. 16. π. de Acq. rer. dom.* ſic ex adverſo vel fundos hodiè limitatos alluvionem haud reſpuere, aliquibus, ceu paulo ante notavi, viſum eſt, ſiquidem iſtos inter, præter alia, *Oettingerus tr. de Jur. limit. lib. 2. c. 2. n. 8.* ſequentia obſervat. Es ſind auch vor Zeiten bey der Römer Regiment ſonderbahre liegende Gütter dem gewiſſen Maaß nach ausgetheilet/ und entweder mit gemeinen Wegen und Straſſen/ oder natürlichen und ſelbſt gewachſenen Rainen eingemarckt geweſen/ die man deswegen limitatos d. i. vermarckte Felder genandt/ welche entweder denen alten verdienten Soldaten/ zu einer Recompens und Leibgeding eingeräumet oder gantzen Gemeinen übergeben/ oder den überwundenen Privat-Perſohnen wieder zugeſtellet/ oder

oder zinßbahr gemachet worden. Die gleicher Gestalt den Rechten der Anflössung nicht unterworffen gewesen/daß ihnen dadurch nichts ab/ oder zugegangen. Dieweil aber die Conditio d. i. die Art und Eigenschafft dieser Gütter mit der Römer Policey vorlängst in Abgang kommen / und auffgehebt worden / und nicht mehr im Wesen seyn/ so hat man solche keinesweges mehr zu achten/ noch auf unsern Gebrauch zu ziehen/ und irren diejenigen gar gröblich/ welche dafür halten/ daß unsere eingesteinte und gemessene Gütter mit dem jure alluvionis den alten limitirten d. i. mit seiner gewissen Maaß eingemarckten/ und sonderbahren Personen / oder dem gemeinen Nutzen assignirten Feldern zu vergleichen seyn/ wie denn in solchem übelgegründeten Wahn Noe Meürer in seinem Buch vom Wasser-Recht/ darin er den Tractatum Tyberiadis Bartoli verteutschet / und seiner irrigen Lehr nachgefolget / denn es mit denselben Güttern weit eine andere Beschaffenheit gehabt / die nicht deswegen limitirt genandt worden/ daß sie gemessen und versteinet gewesen/sondern darumb / daß sie gewissen Personen eingegeben/ und ausgetheilet. Cui suffragatur non minus *Buchner. in Diss. de re & jur. aquatil.* §. *90.* ubi ad propositam quæstionem : *an in agris limitatis alluvio locum sibi vindicet ?* ita respondet. *Et negatur, quatenus id percipimus de veterum divisis, assignatis, quæstoriis, centuriatis & similibus. Quod ad nostros agros quidam extendere sibi placent. Verum quis veteris historiæ planè non ignarus animadvertere nequeat, istum agros dividendi morem ab aula longe recessisse , & propterea alluvionem ab agris nostris, qui omnes limitati esse solent, sed longè aliis de causis, neutiquam excludi.* Ast quodsi vero ulterius, ex horum jam mente, nec stabiles, ac fixi magis in agris limites alluvioni amplius obstant, quomodo eandem isti in diffluentibus aquis, adque rationem interdum nudam, concepti modò & ducti, impedient?

§. XXII.

§. XXII. Rationem asserendæ quæstionis è contra collectio ab agris ducta, probabilem hic juxta illos reddet, qui ex naturali & Gentium jure, quod privatorum fundos attinet, omnes adhuc, & vel arcifinios, reputandos pro limitatis esse, ac quicquid adeo per alluvionem est adjectum, non illis sed publico cedere, sentiunt. *Vid Grot. lib. 2. de J.B. & P. c.8. §. 12. Pufend. lib. 4. de J. N. & G. c. 7. §. 12.* Fundamentum sui placiti in eo ponunt, quoniam, ubi per modum universitatis populi tractum aliquem terræ occuparunt, non plus agri privatis, ex occupantium concessione, sive limitatè sive illimitatè, cessit, quam quod tum terra & ager fuit, flumine ipso, unà cum augmentis, quæ post factam assignationem, ex alluvione vel aliunde exorta sunt, ad jus commodumque populi pertinente.

§. XXIII. Contra quod sic minus firmiter, secundum eos, Zieglerus (1 colliget, quando, dum ager quondam certus privatis usque ad flumen concessus fuit, & verò adjecta per alluvionem terra, similiter non fluminis amplius, sed agri jam nomine venit, vel ex assignatione prima tributam accolis eandem fuisse, autumat. *Vid. Annot. Ej. ad Grot. lib. 2. de J. B. & P. c. 8. §. 12.* Etenim nondum hinc illis, terram assignantes primi futuram, sed existentem modo & præsentem existimantur respexisse, quod & alias aurum ac argentum suum legans, non futurum, sed tantum, quod testamenti tempore jam fuit, credatur legasse *l. 7. π. de aur. arg. mund. leg.* nec privilegia Academiæ præexistentis, alteri collata, eidem, ubi postmodum priori sunt aucta, ut talia putentur concessa esse. *Gothofr. ad d. l. lit. Q.*

§. XXIV. Non (2) injustitiam opinionis suæ aliquam exinde metuunt, quod, cùm vicinis agris damnum sæpenumero flumen per inundationes inferat, æqvum quoque sit, ut possessores eorum, beneficio fluvii utantur, quia secun-

dum

dum naturam est, ut cujusque rei eum sequantur commoda, quem incommoda seqvuntur *l. 10. π. de Reg. Jur.* Nam (α) sæpe ab agris etiam limitatis aliquam flumen partem deterit, *Grot. lib. 2. de J. B. & P. c. 8.* §. *16.* nec tamen obinde & eos possidentibus incrementa fluvii, de Romano ob æquitatem alioquin recepto jure cedunt, *l. 16. π. de acqv. rer. dom.* Videtur (β) illis regula de commodo, damnum patientem, manente, tum procedere, ubi utrumque ex re nostra oritur. Sed flumen, quod nocet agris, prodestque, res planè aliena existit. Quare per axioma aliud juris potius, quo ex *l. 9. C. de pign. act.* si res casu perit, Domino isthæc suo censetur interire, detrimenta etiam per fluvium illata, absque commodo hic ferenda erunt *Grot. l. c.*

§. XXV. Multò hinc illi præterea minus insulas in flumine enatas, præ populo, cedere ac acquiri privatis posse, statuunt, quia (1) ut alluvionis incrementum cum prædiis cohæret, sic insula ab iis plane separata est, nec adeo pro parte eorum agnosci potest, quia (2) exinde, quod Possessorum fundis sint proximæ, non majus isti eas occupandi jus, quàm cæterum alius quivis in partem plateæ vel fori ædibus suis adjacentis prætendit, arrogare sibi possunt. *Vid. Grot. lib. 2. de J. B. & P. c. 8.* §. *9. & Puffend. l. c.* Assistere porro vel ipsum hic iis jus Romanum videtur, quando Labeo *in l. pen.* §. *fin. π. de acqv. rer. dom. si id*, inquit, *quod in publico innatum aut ædificatum est, publicum est, insula quoque, quæ in flumine publico nata est, publica esse debet.* Verum debent verba secundum jus nunc laudatum non de insula quavis, sed de tali in specie, quæ virgultis solum, aliaque levi quadam materia sustinetur, nec alveo cohæret, accipi. Nam ut hanc Paulus *in all. l.* §. *2.* propemodum dixit publicam, sic Labeo, cui cum Paulo in *d. textu* disputatio perpetua intercedit, habitam tandem

istam

istanc pro absolutè publica voluit. *Vid. Ziegl. in Tr. de Jurib. Majest. pag. 1076. §. 18.* ubi alias simul aliorum responsiones ad *d. l.* adducit. Quodsi interim verò secundum exposita hucusque, recedentium à prioribus Auctorum, placita alluvio nec in agris, ubi fines, limitesque nulli occurrunt, concedenda est, multo è contra hinc utique minus, per istæc, jus ejus, in aquis iis, quas speciales planè termini distingvunt, asserendum erit.

§. XXVI. Expositurus ergò paucis, quæ mihi hic mens sedeat, arbitrarer (1) illimitatos ac arcifinios agros possidentibus, alluviones maxime præteritas, & novas ex humanitate tunc præsertim, ubi vim sæpè fluminis propriis sumptibus cohibere debent, recte relinqui. Ast nego è contra (2) limitatos hodiè prorsus, jusque circa alluvionem in iis excludendum, deficere. Nam ut in specie Oettinger inter Auctores supra memoratos satis sibi non constat, quando nunc agros hos intuitu limitum verb. und entweder mit gemeinen Wegen und Straſſen/ oder natürlichen und selbst gewachsenen Rainen eingemarckt gewesen/ die man deswegen *limitatos* d.i. vermarckte Felder genandt: nunc non ratione termini, sed ratione personarum, ibi: Denn es mit den Güttern weit eine andere Beschaffenheit gehabt / die nicht deswegen limitirt genandt worden / daß sie gemessen und versteinet gewesen / sondern darumb / daß sie gewissen Personen eingegeben / appellatos sic olim fuisse censet: ita sanè nihil vetat, quo minus isti juxta utrumque significatum dari possint, cum nec familiæ, communitates & personæ certæ, quibus specialiter attribuantur, nec termini & limites, quamvis antiquis Romanis quoad formam fortè & specialia alia haud respondeant, in se desint, sed pro his v.c. lapides majores, eque terra prominentes, vulgo die Feld-Wacken / qui crebrò fines in Ducatu Magdeburgico, teste *Dn. Stryck. in us. Pand.*

mod. ad tit. ff. *finium reg.* §. 5. *n.* 8. constituunt, nec non petræ, item statuæ terminales, communiter der Grentz-Säulen/ quæ hodie, eodem illustri Auctore *l. c. num.* 18. referente, finium vicem in territoriis distinguendis frequentissime subeunt, ut & aggeres porro ac montes, haberi commode queant. Cui propterea & consequens ulterius est, ut, si quid signorum horum pro termino territorii vel agrorum ad Flumen, spatio quodam istud inter ac terram relicto, positum fuerit, terras merito id & limitet, & alluvionem penitus excludat. *Vid. Aymo de alluv. jur. Lib.* 1. *c.* 17. *pag.* 133. *circa fin. Stypmann de jure flum. pag.* 46. *n.* 549. *item Struv. in Syntag. Jur. Civ. Exer.* 41. *th.* 26.

§. XXVII. Non pro falsis (3) placita hìc eorum repono, qui, dum agri forte limitati adeò frequentes hodiè non sunt, assignatos, seu certo, puta mansorum, jugerum &c. numero constantes in locum & jus illorum, multis in locis, successisse, contendunt, de quibus *Vid. Aymo Tr. cit. pag.* 133. poteritque sic tum in iis id, quod ultra conventam mensuram ex alluvione accessit, & augmentum notabile existit, publico cedere.

§. XXVIII. Quamobrem secundum hæc jam (4), dubitandum mihi ulterius haud quidquam videtur, quin, si certa hominum aut naturæ opera vel in aquis ipsis, vel in terra adjacente existentia, agnita pro limitibus earum & constituta fuerint, alluvioni istæc impedimento sint, ac si qua in flumine terra prius ex una parte congesta fuerit, huic ab altera, recentius exorta accedendo, Dominis istius nequicquam cedat, cum ita satis utique, quid ultra vel citra terminum reperiatur, cognosci, unde alluvio alioquin impeditur, possit.

§. XXIX. Quod potissimè assensum (4) tum mereri debebit, ubi duabus vicinis Rebuspublicis pro commodo publico per constitutum limitem in aquis vel ad eas positum

ac

ac in ipsas simul undas extensum, distinguere ac partiri territorium inter se placuit. Nam si, quando, subjectis sibi, hæc vel illa potestas summa, aut communitas terminum specialem ac certum sive in fluvio, sive in adjacentibus agris, sic, ut pro tali in aqua simul habeatur, præstituit, provenientia ultra istunc, intra territorium, in flumine augmenta, denegasse iis juxta doctrinam veriorem, rotunde censenda est, quanto minus in parte aquæ, ad se spectante, enatam posteriori tempore terram, Extraneo, cujus nomine Respublica vel communitas altera venit, ubi cum præexistente hujus, in attributa sibi parte, post coaluit, juxta mentem suam, quæ ante omnia in conventionibus quibuscunq; per *l. 34. π. de Reg. Jur.* attendi debet, acquisitam voluisse, credenda erit? Nec obstant hic *l. 30. § 2 & l. 56. π. de acqu. rer. Dom.* utpote secundum quas prima insulæ origo spectanda est, in tantum, ut maneat istæc cum incremento suo ejus, cui initio acquisita fuit, licet postea per alluvionem alterius ripæ facta fuerit proprior. *Vid. Struv in Synt Jur. Civ. Exerc. 41 th. 28.* Etenim pertinent illæ 1) ad privatos, & (2) ad casum, ubi nullus limes constitutus fuit.

§. XXX. Et hinc haud dubie, quicquid porro terræ in aliena aqua, ac scienter quidem, est inædificatum, non aliter, quam refragante omni jure prætenditur *arg. §. 30. Inst. de* [illegible] *D.* licet exstructum opus vel publicæ utilitatis causa fuerit. Quem casum Gryphiander *in Tr. de Insc. c. 20 n. 64.*, inter Ulmenses quondam in Imperio & Antonium Fuggerum ex facto contigisse, testis est. Nam cum ab iis opus aliquod in Insula fluminis Verræ, ad publicam quamvis navigantium utilitatem, exædificatum esset, Fuggero ratione insulæ nunc dictæ ipsis contradicente, ab Imperiali Camera, id illis in alieno flumine ac dominio non licuisse, utut privata utilitas publicæ alioquin cedat, decisum fuit. Nullo jure autem, sed incassum potius, Papa quondam Romanus de Insulis

maris

maris Adriatici Venetis litem movit. Hinc argute Legatus aliquando eorum *Donatus* Alexandro VI, vel secundum alios, Pontifici Julio II. quærenti: *quibus tandem titulis urbs Veneta possessionem Adriatici maris tueretur*, extemporali responso occurrens, *ostendat*, inquit, *mihi vestra sanctitas instrumentum Donationis Constantinianæ, & versa pagina jus Venetorum in Adriaticum mare apparebit. Vid. Piccart. in Observ. histor. polit. Decad.16. c.5.* Nimirum ut Constantinus Imperator patrimonium Petri donando in Papam haud quicquam contulit, neque liberalitas hæc ex *c.14. Dist.96.* cum palea sit, probari potest; sic nec unquam ex donatione Papæ Alexandri III. ceu vulgò creditur, prædictum æqvor Venetis cessit, ex cujus tamen Instrumenti defectu adducta ante hìc quæstio jus reddere illis dubium intendebat. Etenim multo prius certe, quam Alexander III. Dominatui ac sedi Papali præficeretur, pleno jam Veneti maris Adriatici dominio potiti sunt. *Vid. Besold. in Th. Pract. pag.952.*

§ XXXI. Cessat (β) alluvio præcipuè, imo penitus, ubi, num ulterior, respectu limitis, terra, an citerior vero, ortum in aquis prius sumpserit, memoria omnis deficit. Nam, ignorato principali, locum quoque, acquisitio per accessionem indubitate nullum invenit. Habes sic Lector benevole, quæ de jure limitis in aquis constituti afferre in medium atque disserere cum imbecillitas ingenii mei, tum ratio instituti permisit, labore, qui & uberioribus refertus argumentis, & limatior ad placitum tuum prodeat, Doctioribus relictô. Dabis veniam eapropter errati, cum errare humanum sit, memor tuæ humanitatis, facile, si levidense hoc conamen, eruditum minus, suaque destitutum accuratione inveneris. DEO interim verò pro divina ope sua gratias cumprimis ago, supplici veneratus Eum corde, ut ceu cœptis hucusque meis clementer annuit, ita &, Ipso benedicente, exoptatus istæc maneat

FINIS.